AD POTENTISSIMOS AC SERENISSIMOS REGES, PRINCIPES, ...

Philips van Marnix

Ad Potentiſs. ac Sereniſs. Reges, Princi-

pes, reliquoſq; ampliſſimos Chriſtiani orbis Ordines.

Seria de Reip. Chriſtianæ ſtatu eiuſque ſalute atq; incolumitate cõſeruanda.

Germani cuiuſdam Nobilis & Patriæ amantis viri COMMONEFACTIO.

VOD ſi quam in alienis rebus rationibuſque iudicij ſtateram adhibemus, ad eandem noſtra ipſi conſilia, noſtraſque omneis actiones appenderemus, & certius omnis nobis vitæ ratio inſtitueretur, & omnino infinitę tum publicæ tum priuatæ calamitates auerterentur. Alienorum enim vel periculorum vel cladium exemplis quaſi optimis & certiſsimis vitæ ducibus ac magiſtris ad res omnes & inſtituendas & perficiendas vteremur. Quòd quidem ſapientiæ genus vti tutiſsimum, ita ſuaviſsimum eſſe nemo vnquam ſanus dubitauit. Sed ferè fit vt in rebus noſtris diiudicandis conſtituendiſque vel cupiditate vel metu vel alia quapiam animi ægritudine præpediti, quòd ante pedes eſt, quódque ceruicibus iamiam imminet, haud ante cernamus, quàm ipſa calamitate obruti, repentino interitu tarditatis ac ſtultitiæ pœnas luerimus. Itaque etſi de aliorum exemplis prudenter ſæpe iudicamus, dum tamen idem ſe nobis deuitandum periculum offert, quia vel rei magnitudine, vel ancipitis euentus formidine perterriti, & dum alij ſeſe moueant circumſpectantes moras inutiles nectimus, & alias nos periculi rationes habituros ſperamus, occaſionis oportunitate è manibus elapſa, omnis illa ſpecioſa ſapientia quæ in alieni periculi exemplo intuẽdo verſatur, inanis prorſus atq; infructuoſa nobis abit.

Nulla quidem vnquam vel reſpub. vel ciuitas, ac ne ciuis quidem vllus aut bonus aut fortis extitit, qui non cenſeret, in moderato potentiorum vicinorum imperio ſalutem ſuam ac libertatis, vitæq; incolumitatem omnem conſiſtere. Neque quicquam ſuâ tantopere intereſſe, quam illos ipſos vicinos iuſtitia & moderatione animi imperiũ adminiſtrantes ſuis ſe finibus, quaſi quibuſdam repagulis, continere. Eſt enim in omnibus quidem ambitio periculoſa, ſed in illis certè vel omnium maximè, qui quantumuis vaſtis imperij ſui finibus, regnandi cupiditatem

nequeunt terminare. Quia cum Imperiorum mutatio sine tristissimæ vicissitudinis, atque omnium rerum perturbatione vix vnquam possit existere, necesse est, vt quæcunque illis adiacent regiones; vel longissimo etiam remotæ interuallo, immoderatę huius ambitionis fluctibus agitatæ, funesto tandem interitus atque omnium calamitatũ gurgite inuoluantur. Sed quemadmodum oceani vel grauissima tempestate tumefacti ac redundantes fluctus, obiecto proximo aggere, vicinis atque accolis omnem industriam, laborem, ac vigilantiam vno animo, vnoque opere per initia adhibentibus, possunt haud ægerrimè cohiberi, postea verò quàm vno atque altero aggere perrupto, in campos atque arua se longè latèque effuderint, nulla neque vi neque industria humana prohibentur, quin certam atque inæstimabilem, non modò innumerabilibus hominum ac pecudum cateruis, sed totis etiam oppidis, latissimisque sæpe ditionibus ac regnis perniciem adferant: ita planè quæ latè suos fines producunt imperia, si vnanimi vicinorum populorũ consensu quasi proximo aggere, suis regionibus per initia cohibeantur, vix est vt grauem aliquam aut memorabilem cuiquam cladem inferre possint: sin autem perruptis finitimorum vnis aut alteris claustris, & Imperij prolatandi dulcedine semel animos deliniuerint, & sui nominis terrorem reliquis etiam iniectum senserint, nulla certè tanta vis est, nullum tam vastum aut violentum repagulum, quo furentes isti ambitionis impetus queant amplius coërceri. Quod quicunque post homines natos viri sapientes perspexerunt (perspexerunt autem omnes qui quidem prudentiam ad res gerendas adhibendam esse rati sunt) ij semper statuerunt boni ac patriæ amantis ciuis, maximè autem Principis esse, diligenter ac maturè prouidere non modò, vt in sua Repub. benè beatèque suis ciuibus ac populis esset, sed etiam ne qui finitimi vel Reges vel populi in vicinorum sedes, quacũque tandem obtenta iustitiæ specie ac prætextu, per vim irrũperent, regniue cupiditate allecti suos fines in vicinorum ditionem ambitiosè propagarent. Hinc olim Romani Carthaginensium crescentem potentiam missis auxiliaribus copijs, quæ Mamertinos obsidione liberarent, & Hispaniam ab Afrorum seruitute vindicarent, omninò sibi putarunt esse imminuendam.

Hinc

Hinc Antiochum Epiphanem tutelæ ſpècie Ægypto inhiantem ſuis finibus ac regionibus circumſcripſerunt, neque vnquam alicuius vel Regis, vel populi potentiam in immenſum creſcere paſsi ſunt. Hinc etiam, noſtra maiorumque noſtrorum ætate, Venetorum illa eximia ſapientię laus ac prædicatio extitit: qui cùm ſe haud temere ad bellum ſuſcipiendum commouêre vnquàm ſoleant, ita tamen ſua cõſilia ſemper temperarunt, vt ſi quando vicinos vel populos, vel principes cernerent immoderato ambitionis impetu, in vicinos vim intentare, ſua ſemper arma infirmioribus præſidio eſſe voluerint: vt tanquam in trutina libratis populorum ac Principum Italię viribus, nemò exiſteret, qui ſe Venetam rempublicam ſperaret armis poſſe opprimere. Quòd quidem conſtans ac perpetuum eorum inſtitutum, inter multa alia præclara vel præcipuum habetur, quòd illàm rempub. non modò iam ad mille & amplius annos florentem conſeruarit, ſed omni etiam virtutis ac ſapientię laude apud exteras omnes gentes cumulatam atq; admirabilem reddiderit.

Atque hoc quidem exemplum Laurentius Medicus, vir ſuæ ætate omnium in Italia ſapientiſsimus, ſummo ſtudio atque induſtria ita ſecutus fertur, vt alta Italiæ pax & beatiſsima tranquillitas, illa ætate, eius vnius prudẽtię omnium propè ſcriptorum calculo tribuatur, propterea quod tum ſuis conſilijs, tum reipub. Florentinę, in qua clauum tenebat, armis atque auxiliis omniũ Italię Principum cupiditates ita frenabat, vt ſi quis extra ſuos fines, ambitionis ruens impetu quicquam tẽtaſſet, ille continuò reliquorum Principum ac populorum armis atque authoritate coërceretur. Atque hoc quidem certè nemo eſt, qui non videat, ſentiat, ſtatuat, nemoque qui non eos populos grauiter incuſet, & verò etiam proditæ patriæ reos peragat, qui vel metu perterriti, vel ignauia fracti, vel otij & quietis ſuauitate illecti, vel tarditate & quaſi quodam veterno conſepulti, vel denique ciuilibus ac domeſticis contentionibus implicati, finitimorum regum ac populorum ambitioſa imperia per ſocordiam ita paſsi ſunt propagari, vt cùm poſt eorundẽ vim atq; impetũ ſuſtinere nõ poſſent, triſtiſsima calamitate ac pernicie & ſe & patriam ſuam inuolutam cernere coacti ſint. Æquis enim eſt nõ ferũm qui non cenſeat veteres olim Gallos, ſi vnanimi omnes

consensu Iulii Cæsaris arma initio repulissent, rempub. à Romanorum seruitute liberam nullo negotio tenere potuisse? Sed dum alij vicinorum ærumnę atque interitus otiosos se præbent spectatores, alij suis etiam armis atque auxilijs potentiam Romanam corroborant, perbreui tempore eò res adducta est, vt amplissimum illud potentissimumque imperium in prouincias redactum turpi seruitute penitus fuerit oppressum.

Quid Italia ipsa? Si adolescentem Romanorum potentiam sub initia communibus armis ac viribus cohibuissent, neq; passi essent sigillatim Antiates, Crustumios, Cerninenses, Latinos, mox etiam Volscos, Æquos, Sabinos, atque inde porrò Samnites, Vmbros, Brutios, Hetruscos, aliosque singulos per se populos sub iugum venire, án non & suam libertatem tutati essent, & reliquos Europæ populos à fœdę seruitutis capistro vindicassent? Et tamen vix quisquam illorum est exemplis factus sapientior. Et dum omnes de alijs quidem rectè iudicarunt, nemo est qui suis temporibus iudicij illius fructum ad se potuit traducere. Atque ita post Italiam, Sicilia, mox Africa atq; inde porrò omnis Asia, & propè vniuersus terrarum orbis sæuissimo Romanorum iugo subacta socordiæ atque stultitiæ pœnas dedit. Eádem penitus vel vecordia, vel stupore Christianorum Principum animi olim occupati Saracenorum genti atque imperio eas oportunitates dedere, quæ florentissimas totius Asiæ, Africę, atque Ægypti Ecclesias funesto Mahometicæ seruitutis iugo turpiter oppressas, à vera cœlestis doctrinæ cognitione penitus abalienarunt. Quorum tyrannidem excepit crudele Otomannorum imperium, quod quidem ex minimis & planè contemnendis ortum initijs paulò momento ita mirabiliter excreuit, vt iam nō Asiæ aut Africæ regna, sed ipsius Europę penitissima viscera peruaserit, vastarit, euerterit.

Atqui nemo non videt ipsos Christiani orbis Principes ac populos dum vel domesticis dissidijs inter se implicati, vel ignauia perterriti, vel ambitione ardentes vicinorum cladem ad se minimè putant pertinere, satis sibi quisque virium fore rati, ad gladios Turcarum à suis finibus depellendos, illorum seritati & spacium temporis & oportunitatem eam dedisse, quā ne

ipsi

ipsi quidem vix vnquam optare, sperare certè nunquam ausi fuissent. Quo quidem incendio, nisi Germaniæ dulcissimæ nostræ patriæ virtus obstitisset, quę cõmuni consilio atque imperij decreto vires suas ac vectigalia coniungenda esse putauit, vt quoties necesse esset Otomannicam illam potentiam, vel suo certo periculo cohiberent, iampridē orbis Christianus vniuersus conflagrasset. Eadem illa Germaniæ virtus olim se Romanis armis sola obiecit. Cùm enim reliqui & Europæ, & Africæ, atque Asiæ inde vsque ad Persas & Parthos ferè omneis populi, ea quam diximus imprudentia iugum illorum admisissent: soli Germani coniunctis viribus eorum potentiam multis prælijs fregerunt, & sæpè victores, sæpè etiam victi, ita semper vires repararunt, vt oblata tandem per ciuiles Imperij Romani dissensiones occasione, ipsi iam ex Germania magnis exercitibus comparatis in Romanorum ditiones vndiquaque irrumperent, & eos qui alijs ante gentibus imperarant, non modò sub Germani Imperij iugum ire docuerunt, sed propè ad internecionem etiam deleuerunt. Quæ certè virtus nullis laudibus, nullā prædicatione satis poterit vnquam celebrari.

Sed quò maior ac præclarior illa fuit Maiorum nostrorum virtus, eò maiori cùm admiratione ac dolore, boni omnes ingemiscunt, nos iam ab auita illa fortitudine degeneres, tacitos, otiosos, ac securos cernere ac pati Hispanorum superbum & crudele iugum propè iam vniuerso terrarum orbi impositum, etiam nostris posterorumque nostrorum ceruicibus imminere.

Nolo equidem, vel gentes vel Principes inter se comparando, nomini cuiuspiam inuidiam excitare. Omnis enim seruitus & grauis & viro indigna est. At verò Hispanorum seruitus, quos iam nuper à Mauris & Saracenis ortos fæuissimæ Inquisitionis terror ad Christiani nominis confessionem inuitos atque obstinatè reluctantes per vim coëgit, an Turcorum seruitute tolerabilior censeri possit, haud facilè pronunciauerim. Esto penes Granatenses, penes Indos, penes Neapolitanos hoc iudicium.

Illud certè cõstat Romanorũ iugum, etsi propter inexplebilem

Impe-

Imperatorum ac militum auaritiam (quorum hybernis plures sociorum ciuitates deletæ traduntur, quã armis hostium vrbes) gentibus esset intolerabile, tamen ob multas præclaras populi illius virtutes, si cum Hispanorum superbia, crudelitate, auaritia, cõferatur, seruitutem illam libertatis, obedientiam imperij nomine merito cẽseri potuisse. Sed quoquomodo se hoc habeat, illud certè exploratum est, nisi maturè prouideatur, & communi atque vnanimi reliquorum Regum ac Principum consilio, Hispanorum conatus atque animi frangantur, propediem forè, vt eorum viribus per communem socordiam in immensum auctis, serò & frustrà se sint obiecturi ij, qui commune hoc Christiani orbis incendium ad se nihil dum putant pertinere. ac proinde, rati se, si quid in suis finibus tẽtetur, facilè vim omnem esse domesticis armis propulsaturos, vicinorum Belgarum cladem imminẽtem otiosè spectant: Neque vident hac sua socordia Hispanicæ ambitionis ac superbiæ flammas accensas ea capere incrementa, quibus post & ipsorum tecta & vniuersi orbis Christiani omnes prouinciæ, ditiones ac regna breui sint conflagratura. NEQVE enim est quòd quis existimet Brabantiæ, Flandriæ, aut Hollandiæ regionibus huius incendij faces compressas posse coërceri, cuius iam nõ scintillæ, sed ardentes flammæ non modò Italiam, sed Galliam, Angliam, Scotiam, & Germaniam ipsam, atque vniuersum denique terrarũ orbem longè latèque peruagatę incenderunt. Atqui ne Hispani quidem ipsi dissimulant orbis terrarum Monarchiam fato sibi deberi: vtpote quorum virtus ac fortitudo nouum atque ante incognitum terrarum orbem armis subactum legibus, atque institutis ornarit, moribus ac disciplina expoliuerit, & Catholica denique ac Romana religione imbuerit. Sui esse muneris prædicant constituta Monarchia, reliquos Christiani orbis populos ad eandem fidem ac disciplinã adducere, & omnes de religione, controuersias nominis sui atque Imperij terrore, armorumque virtute componere. Hæc illi non modò palàm dictitant, quotidianisque sermonibus vsurpant, sed re ipsa & omnium cõsiliorum, actionum, rationum, rerumque gestarum certissimis atque indubitatis indicijs apertè confirmant. Nihil enim aliud agunt, nihil spectant, nihil cogitant, quàm vt subactis semel Belgij populis,

pulis, sedem ibi belli statuant, vndè quàm minimo negotio, & in Germaniam, & in Angliam, & in Galliam, quoties adlibuerit, perrumpant: & primum quidem in eos supplicium statuant, quos suis studijs nimis fuisse fauentes, vel leui suspicione iudicabunt: atque inde porrò reliquis Christiani orbis Regibus ac populis quodcunque videbitur pro libidine imperent, & si qui dicto minus erunt audientes, eos à finitimis desertos, & hostili manu vndique cinctos infestis armis opprimant, & sub iugum seruitutis mittant. Eò sua omnia consilia, rationes, conatus, iam inde vsque intenderunt, ex quo oppressa armis Italia, non modò in Germaniam Religionis instaurandæ prætextu fecêre impetum, sed etiam orbis Christiani Monarchiam omnem sibi subijcere tentarunt.

Quod quidem vt perspicuè intelligatur, operæpretium erit nos hîc vobis Potentissimi ac Serenissimi orbis Christiani Reges, Principes, atque Ordines amplissimi, Hispanicorum consiliorum, institutorum atque actionum omnium seriem, inde vsque à primis initijs ad hæc tempora, ordine ac breuiter explicare: ex qua mens eorum atq; animus, & spes omnis atq; institutum perspicuè elucescat: vt ita communi malo, communibus consilijs remedium oportunum naturè quæratur. In quo nihil equidem dicam, nisi quod in omniũ oculis positum, & quasi in quodam amplissimo orbis theatro gestum nemini poterit esse obscurum. Quod quidem ego dum vobis ob oculos pono viri Principes, quæso paulisper attendite, atque animum ab omni præiudicata opinione ad cognoscendam rei veritatem diligenter aduertite.

Postquam itaque gens Hispanica Ferdinandi virtute Maurorum iugo liberata, longoque armorum vsu atque exercitatione roborata, reliquis se gentibus ac populis bellica laude, vel superiores, vel certè pares esse posse statuerunt, continuò ad occupandam Italiani animum adiecerunt, præsertim cùm ab Arragonijs, qui olim ex Hispania oriũdi sedes suas Neapoli fixerant, ad subsidium contra Gallos vocati, florentissimæ ditionis amplissimam vbertatem, atque omnium rerum redundantem copiam oculis atque animo lustrassent: & iam Siciliam insulam ad importandos commeatus, trajiciendasque militum copias, & ad-

omnia denique belli gerendi, sustentandi, ue præsidia longè o-portunissimam, Gallis etiam multo antè tempore ereptam te-nerent. Itaque deserta eiectaque Alfonsi stirpe, cum Gallo fœ-dus ineunt, & de repartienda inter se vniuersa prouincia pacis-cuntur. Ex quo cùm Gallos ad belli procurationem segniores cunctantioresq; factos viderent, orta de finibus contentione a-crius bellum instaurant, ita tamen vt non multò post opera Phi-lippi Archiducis (cui filia nupserat Ferdinandi) pacis nouæ con-ditiones propositæ sancirentur, quo stratagemate Gallicis sub-sidijs, quæ iam in procinctu erant, remoratis, à Cosaluo reliquiæ Gallici exercitus ad Gariglianum flumen penitus cæsæ fuere ac profligatę, atque ita Gallis omnibus Neapolitano regno procul iectis, Hispani oportunissimam belli sedem, ex qua Italiæ toti imperarent, collocatis præsidijs, & substructis arcibus ac muni-tionibus occupant. Cumque iam sub idem ferè tempus, autho-ritate Pontificis Romani, vastissimis illis Indiarum regionibus inter Lusitanos & Castellanos repartitis, vniuersam Americam atque Indiæ occidentalis amplissimum complexum admirabili & nunquam ante audita crudelitate vastatum imperio suo subie-cissent, & simul inferioris Germaniæ, quæ Belgicam Galliam at-tingit, Principes ac ditiones affinitatis necessitudine sibi con-iunxissent, rati iam se habere ærarium vnde belli gerendi facul-tates depromerent, partim propter auri atque aromatum incre-dibilem copiam, quę ex Indicis nauigationib. in singulos propè annos aduehebatur, partim ob mercium innumerabilem trans-uectationem, quę à Belgicis ac Batauicis mercatoribus ac naui-culatoribus cum Hispanijs instituta, vectigalia mirificè auxerat, ad reliquam Italiam sibi subiungendam animum adiecerunt, ac proinde Insubriam vniuersam, feracissimam certè ac florentissi-mam Italiæ partem, sub specie auxilij Sforsiæ ferendi, Gallis e-reptam, mox etiam Sforzia oppresso occupatâ Hispanicis præ-sidijs firmarunt. Florentię, Senę, Pisę, atque adeo vniuersę He-trurię statum commutarunt, imposito illis Duce quem suis par-tibus ac studijs addictum norant. Parmam & Placentiam arci-bus & præsidio firmarunt. Genuam, Ligustici Maris portum fa-ctionibus ac dissidijs domesticis agitatam, confirmata Dorijs authoritate atque imperio, sibi addixerunt.

Denique

Denique Germaniæ inferioris oportunitate adducti, cùm Carolo quinto Electorũ suffragijs Germanici Imperij moles esset imposita Galliæ regnum infestis ex Belgio armis, & sæpè & grauiter diuexarunt, & in ipsa Germaniæ superioris intima viscera, religionis Pontificiæ instaurandæ prætextu, impetum fecerunt, victisque prælio Protestantium Ducibus de illa vndiquaq; occupanda, & suæ dominationis iugo subiungenda seriò cogitarunt, ac proinde munitissimas quasque arces atque oppida in ipso Germaniæ vmbilico Hispanico præsidio communierunt. Sed cùm neque eorum ambitiosissimis studijs Caroli Imperatoris æquitas satis responderet, neque ea quæ occuparant loca, & longo remota interuallo ab Hispanijs, & fortibus vndique ac bellicosis cincta gentibus diu se posse tenere animaduerterent, & iam singulari Mauritij virtute atque armis inde pulsi, superiorem omnem Germaniam relinquere cogerentur, & in Gallia iam sæpius renouata bella optato successu carere cernerent, opimam quidam illam, quam certa spe deuorarant, prædam è faucibus sibi ereptam grauiter ferentes paulisper substiterunt, donec post Caroli quinti ex Belgio discessum, ambitioso, superbo, & verè Hispanico Philippi Regis ingenio ad suas cupiditates abusi, aliâ sibi via quod pridem instituerant, aggrediendum decreuerunt. Animaduerterant enim se neque in Germaniam, neque in Gallias posse quoties adlibuisset exercitum ducere: Et si duxissent commeatum ac belli gerendi facultates primo quoque die defuturas, nisi occupatis & in suam potestatem redactis Hollandiæ ac Zelandiæ portibus, constitutoque in reliquis Belgij prouincijs Hispanico præsidio, ac imperatis quibus opus esset stipendijs, & belli quoties vellent inferendi, & eiusdem quamdiu videretur sustentandi, prorogandique sedem oportunam delegissent. Cùm autem se id saluis gentis legibus atque immunitatibus ægrè posse impetrare viderent, propterea quòd ex illarum sanctionibus extéris gentibus exclusis omnis reipublicæ administratio penes indigenas esset, & nulla ciuitatibus, vel vectigalia, vel præsidia, nisi ex ordinum consensu imponi possent, omninò statuerunt antequam vlterius Imperij ac dominationis limites prodagarent; illas Belgij prouincias esse arctioribus imperij habenis coërcendas, suisque illis legibus

ſtitutis, immunitatibus ac priuilegijs, & cunctis deniq; tum libertatis firmamentis, tum præſidijs dignitatis ſpoliandas, vt ita erectis pro arbitratu ſuo extructiſq; arcibus, imperatiſque vectigalibus ac ſtipendijs, ex florentiſsima prouincia ſedem belli ad ſua ſtudia oportuniſsimam conſtituerent, ex qua deinde aliquot Hipanicis legionibus firmata, & ſuæ fidei penitus mancipata quocunque inde adlibuiſſet, impetum facerent.

Ex eo itaque tempore, omnia ſua conſilia, omnes rationes, omnes denique actiones ac ſtudia huc intenderunt, vt in Belgio qua vi, quaque iniuria, præſidia Hiſpanica per prouincias, ad decem (vt minimum) veteranorum militum milia repartirentur, quib. indigenarum Gallorum militum robur adiungerent, coſque ordinarijs equitum turmis, quas in Belgio ſemper paratas, inſtructaſq; ex ritu veterum illius prouinciæ Ducum ac Principum Rex habebat, communirent: eas denique vel deuincta ſibi per fœdus atque amicitiam Germani cuiuſpiam fide atque opera, vel certè occupata Germaniæ vicina aliqua ciuitate, equitatu Germanico, quoties ita ferret uſus, roborarent.

Ad hanc rem Ericum Ducem Brunſwicenſem per initia delegerunt, quem annua penſitatione oblata quaſi quodam authoramento Philippus Rex fidei ſuæ deuinxit: eodémque tempore de Colonia, vel Monaſterio occupando conſilia inierunt. Sed cùm Belgij ordines Hiſpanica præſidia obſtinatè recuſarent, eaq; illa, quæ tum ex belli Gallici reliquijs ibi manſerant, deduci importunè flagitarent, pecuniam imperatam niſi id fieret, obfirmatè renuentes, oportunitas illius clàdis, quæ in Africa ſub idem tempus ad Gelbes extitit, qua quidē legiones Hiſpanicæ propè ad internecionem deletæ ſunt, effecit, vt quam Belgarum petitionem Rex Hiſpaniæ ferebat indigniſsimè, & verò etiam quaſi atrox rebellionis crimen graui ſupplicio mulctandā decreuerat, eam rerum neceſsitate victus, non planè ſibi ingratam eſſe ſimularit, & præſidia Hiſpanica ex Belgio deduci paſſus ſit, vt Italiæ & Hiſpaniæ fines, & quas in Africa tenebat munitiones ab Aforum & Turcarum irruptione communiret: Sed certo tamē conſilio ac decreto (quod ne ipſe quidem potuit diſsimulare, & Hiſpani etiam ſcriptis editis teſtati ſunt) vt prima quaque noua occaſione, infeſta Hiſpanorum præſidia eò iterum ablegarētur,

quorum

quorum vi atque armis, & illa (vt arbitrabatur) Hispanico nomini inusta macula eluueretur, & vniuersæ gentis Belgicæ libertas arctioribus imperij frenis coërceretur. Ad eam rem perficiẽdam, nulla se obtulit occasio speciosior, quàm religionis Romanæ constituendę eonstans atque inuictum Regis Philippi studium, cura, sollicitudo. Itaque ex Hispania datis subinde literis, grauiter queritur rem illam neq; Parmensi neq; procerib. ac magistratibus cordi satis esse. Omninò se vidêre nisi violentiora atq; acriora adhibeantur remedia, Catholicam religionem in Belgio breui pessum ituram. Id verò se nequaquam passurũ esse, sed omnium regnorum ac ditionũ reliquarum facturum potius iacturã. Itaq; planè ac seriò velle, vt edictorũ de religione acerbitas, sine vlla dissimulatione ad vnguem obseruetur, nullaq; de causa vel tantillum remittatur, sed acrius etiam intendatur. Ad eam rem, noui per prouincias Episcopi vndiq; instituantur, qui munus inquisitorum exequantur strenuè: ijs omnib. præsit Granuellanus Mechliniẽsis Archiepiscopus, qui iam à Pontifice Galerum Cardinalitium acceperat, & propter intolerabilem ambitionẽ atque effrænem dominandi cupiditatem, apud omnes ordines grauissima inuidia flagrabat. Episcopis autem illis, vt eò gnauius muneri inquisitorio intenti essent, præda distribueretur ex manubijs reliquorum ecclesiastici ordinis beneficiorũ, quos aiebant nimium esse remissos in persequẽdis mulctandisq; hæreticis: simulq; summa daretur potestas Iudiciorum in omnib. ijs causis, quæ vel palàm, vel obliquè ad religionis negotium spectare viderentur. Atque ita vno tempore, vnaq; opera, omnes gentis ordines pariter offendebantur. Nam & proceres grauiter ferebant reip. procurationem sibi ereptam in vnum hominẽ nouum, atq; exterum Granuellanum conferri: Nobiles indignè ferebant summum de suis capitibus, & fortunis omnibus iudicium penes aliquot homunciones obscuros, viles, atq; inopes, cõtra morem patrium fore, quos intelligebant suis facultatib. inhiantes, facilè criminãdi occasionẽ ad suam pernicie esse aucupaturos: Vrbium magistratus fremebant iudicia contra leges, ac iurata à Principe priuilegia ciuitatib. eripi, & mãdari hominib. nullius pretij, q. & extero principi, Põtifici nimirum Romano, sacramento obstricti essent, & iã antè infinita auaritię & crudelitatis specimina edidif-

Vniuersa denique plebs lupos fortunis suis inhiantes pro pastoribus datos sibi querebatur, ita vt infiniti mercatores de patrijs sedibus deferendis cogitarent, & verò etiam innumerabiles in exteras regiones commigrarent. Ea cum varijs supplicationibus, libellis, nuntijs, ac legatis ad Regem referrentur, omnesque ordines studiosè intercederent, vt ne tanta rerum innouatione populo fidelissimo præberetur occasio de antiqua fide ac beneuolentia in Principem quicquam remittendi, omnia eorum postulata Rex non modò obstinatè respuit, sed voluit etiam Tridentini Concilij decreta, quibus omnia penè iura patria labefactabantur, sanciri. Videbat enim adesse iam occasionem diu multumque expetitam. Etenim futurum vt vel si dicto parerent, Inquisitorum potestate semel constituta, conuulsisque legibus atque institutis Patrijs, haud difficilè tollerentur è medio, qui vel authoritate, vel gratia apud populum valerent: atque ita Hispanica præsidia, & noua reipublicæ forma introducerentur: vel si renuerent, læsis iam omnibus per æquè ordinibus, tumultus aliquis necessariò oriretur, ad quem coërcendum præsidia mittenda censerentur: vel quoquomodo res caderet, obstinatè neglectum Regis mãdatum, quasi atrox læsæ maiestatis crimen satis causę ad gentem omnem ferro atq; armis mulctandam videretur. Neque fefellit consilium euentus. Cùm enim ex flore Nobilitatis nonnulli oblato in Curia libello supplices retulissent, quam esset illud Regis institutum & reipub. pernicioſum & ipsi Regi damnosum, & sibi periculosum, rogassentque vt tantisper Inquisitionis illa promulgatio differretur, donec de eorum postulatis, Rex ipse in Hispania per Legatos, viros ex summo ordine primarios cognouisset, plebs hac occasione maiorem aliquam sibi libertatem concessam rata religionem Euangelicam, quæ Regi atque omnibus Hispanis erat inuisissima, cepit, licentiosius fortasse quam par esset, profiteri, ac publicè exercere. Hac occasione tam specioſa, Rex primum quidem vniuersum illum nobilium ordinem, qui libellum obtulerant, maiestatis damnauit. Legatos qui ad se in Hispaniam ex Parmensis proreginæ mandato venissent, capite mulctauit: & simul legiones veteranorum ex Hispania Duce Albano misit, qui proceres ac nobiles omnes, qui Hispanorum stu-

dijs

dijs minus fauissent, religionis prætextu è medio tollerent: in optimos quosque capitis pœnam sancirent: plebem vniuersam grauissimis oneribus, vectigalibus ac seruitute durissima mulctarent: in vrbibus atque oppidis arces conderent: deniq; ordines ac Magistratus authoritate, Nobilitatem dignitate ac splendore, populum fortunis, ciuitates legibus, immunitatib. & antiquis priuilegijs, vniuersam denique prouinciam omnibus ornamentis ac præsidijs nudarent. atque ita Hispanicis illis de belli sede in Belgio instituenda consilijs viam aperirent. Quæ quidem omnia quàm sedulò ac diligenter Albanus præstiterit, cum in omnium oculis ac luce versetur, nihil attinet commemorare. Atquí non ad Belgij prouincias (quæ certè imperium minimè detrectabant) subijciendas, sed ad Hispanicam in Europa Monarchiam stabiliendam ea manifestè spectauisse, an potest cuiquam esse obscurum, qui quidem eorum consilia, rationes, actionesque omnes volet aduertere? Nam initio quidem ad Albani aduentum Coloniam ad Rhenum vrbem, eo prætextu quod Regis Hispaniæ perduelles hospitio ac ciuitate donassent, inuadere cogitauit, & simul eodem tempore Monasterium Westfaliæ oppidum suæ potestati subiungere. Quod quidem, nisi Auraicæ Princeps comparatis ex Germania copijs eius impetum & consilia interuertisset, vtrumq; haud dubiè confectum vno tempore vidissemus. Neque tamen propterea desijt Colonienſibus mandata quæ vellet præscribere, & Senatum grauissimis comminationibus ad obsequium cogere. Cum Treuirenſi, qui eo tempore suum illi obsequium ad Regis Hispaniæ consilia atque instituta conficienda pollicebatur, primum quidem secreto tractare in perniciem Illustrissimi sanctæ memoriæ Comitis Friderici Palatini: mox verò etiã contentionem suscipere de vrbe Treuirenſis ditionis præcipua, quam in Regis Hispaniæ protectione esse contendebat. Cliuenſi Duci Consiliarios eos dare, qui in eius ditionibus non aliter ex præscripto imperarent, quam si suæ ditioni subiectas Rex Hispaniæ tenuisset. Embdanum Comitem clientelæ nomine beneficiarium sibi reddere. Leodienſibus arma, tela, commeatum atque auxilia imperare, & in omnibus denique finitimis illis populis merum imperium exercere. Mox autem

Sere-

Sereniſſimæ Anglorum Reginæ mercatorij contractus nomine controuerſiam mouerunt. Anglos omnes qui in Belgio eſſent, arcta cuſtodia coërcuerunt. Regina, quos vellent in Anglia proſcribi, atque exilio mulctari, edixerunt. Ipſius Anglicani regni perduelles, homines nefarios & conſpirationis in Reginam factæ conuictos, non modò finibus atque hoſpitio exceperunt, ſed etiam muneribus ac largitionibus, annuiſque penſitationibus locupletarunt. Scotiæ Reginam ad res nouas moliendas varijs artibus concitarunt: eoſque qui Scotiæ Proregem nefariè trucidarant etiam præmijs atque honoribus affecerunt, eorumque opera, conſilio, manu ad multas res vſi ſunt. Quid? quod ipſam Reginam Pontificis Romani diplomate, hæreticam atque illegitimam regni hæredem pronunciari curarunt, nefarijſque conſpirationibus in ipſius regni viſceribus excitatis in vitæ diſcrimen adduxerunt, regnumque ijs qui vellent diripiendum occupandumque publicarunt? Sigillatim autem Ioanni Auſtriaco datum eſt negotium, vt rebus in Belgio conſtitutis, ferro atque armis Angliam inuaderet: Scotiæ Reginam in matrimonium duceret, cum qua regnum Angliæ, Scotiæ, atque Hyberniæ ſibi vendicaret. Quod cùm renouato cum ordinibus bello minimè ſucceſsiſſet, iterum alia via per Hyberniam tentandum eſſe putauerunt. Miſſæ ſunt itaque Pontificis quidem Romani nomine, inſtituto autem ac voluntate Philippi Hiſpaniarum Regis, in Irlandiam Italorum, & Hiſpanorum copiæ, quæ ex illa Inſula, quàm ſe fidei ſuæ addictam ſperabant habituros, in Angliam porrò impetu facto, in ſuam poteſtatem vniuerſum illud regnum ſubijcerent. Et niſi Ducis Albani rei difficultate perterriti cõſilio, Philippus Rex eam rem in meliorem temporis opportunitatem differendam decreuiſſet, iam pridem vniuerſa belli moles in Angliam tranſlata eſſet: vt nimirum illa primum occupata, atque ea ratione oceano Gallico & Britannico in poteſtatem redacto facilior eſſet Belgij opprimendi ratio. Galliam porrò interea per teneram Regum ætatem, varijs diſsidijs fluctuantem, omni ſtudio, arte, induſtria, omnibus denique machinis inteſtino bello implicarunt, vt florentiſſimum illud potentiſſimumque regnum, domeſticis armis ad internecionem propè attritum, poſſent ſine multo negotio

gotio cùm vsus ferret opprimere. Interea autem quas illi ciuilibus ijs bellis faces submouerint, quæ auxilia subministrarint, quę disidia excitarint, quę partium studia, factiones, simultates, fœdera, conspirationes ad fouendum illud miserum incendium excogitarint, quid attinet dicere? cùm ipsi Regi Christianissimo notum sit illos non semel populos sibi subditos ad defectionem & ad arma contra se capessenda sollicitasse. & ne quis illud religionis Catholicę zelo factum autumet, etiã ipsos religionis Euãgelicæ propugnatorum ac Principum animos ingentibus pollicitationibus, muneribus ac pecunia pertẽtasse. Cùm ad eius maiestatem sæpenumerò certis indicijs relatum sit, quas illi machinas ad priuatos multos ciuitatum ac portuum maritimorũ præfectos corrumpendos, & ab eius fide alienandos adhibuerint: quòd ipsum etiam Nauarræ Regem promissa pecunia ad dirumpenda pacis fœdera studiosè sollicitarint, & ne quidem à Regis fratre Serenissimo Andium Duce in fratris ac totius regni perniciem armando, sollicitandoque abstinuerint. Et cùm eum suis cupiditatibus minus obsequentẽ cernerent, veneno ac submissis sicarijs è medio tollere tentarint, vt interea omittã pensionariorum, quos vocant, numerum, quos nó modò apud Galliæ Regem, sed apud omnes ferè Christiani orbis Principes ac populos ex intimis & maximè arcanis cõsilijs suæ fidei addictos habet Rex Hispaniæ, qui quoties opus sit rempub. turbent, subditos ad arma concitent, consilia aduersa disipent, & quòd sibi ex vsu sit, decernant. sunt enim hæc plana, aperta, & verò ipsis etiam Regibus & Principibus, in quorum perniciem comparantur, multò notissima. Et nemo tamen est, qui vel hiscere quidem audeat vel mutire. Tantus scilicet omnium animos Hispanici nominis terror occupauit. Nam quid ego de Germania nostra dicam? quæ cùm in omnium maximo versetur periculo, & propè iam Hispanicæ ambitionis gurgite absorpta sit, omnium tamen maximè secura periculum negligit, & vicinorum tectorum incendium iam vsque ad intima suijpsius viscera peruagatum, nihil ad se pertinere putat: ita quæ & suam priuatam, & communem orbis Christiani libertatem olim omnium strenuissimè tutari solet, ad repellendum hoc Hispanicæ seruitutis iugum videtur omnium ignauissimè obtorpuisse.

San⁹ habet in Germania Philippus Hiſpaniæ Rex non iam occultos exploratores aut penſionarios, qui Principum conſilia, atque arcana ad ſe deferant: ſed publicum aſſeſſorem in Camera Imperij, per quem de cauſis omnibus ac negotijs Germaniæ cognoſcat, & tanquam aliquis vnus ex Germaniæ Principibus dijudicet. Sedet etiam per legatos in omnibus Imperij conſeſſibus, omnia Comitia perluſtrat, omnia denique arcana explorat, neque minus habet perſpecta quam ipſi Germaniæ ſeptem viri Electores. Quò quid poteſt eſſe indignius, quid Germanico nomini contumelioſius, quid aut libertati inſidioſius, aut pernicioſius ſaluti, quàm nullum exiſtere Imperij in Germania conſeſſum, nulla Comitia, nullum Senatum, nullum ordinum conuentum, ac ne commune quidem Iuris ac iuſtitiæ tribunal, niſi inſpectante, cognoſcente, ac propemodum iudicante, imperanteque Hiſpano? Quid ita? quia videlicet circuli Burgundici nomine, qui inter Germaniæ circulos cenſetur, etiam inter Imperij Germanici membra habendus eſt Rex Hiſpanus. Quid hoc quæſo eſt, Illuſtriſsimi Principes, niſi veſtro nomini, authoritati, gloriæ apertè illudere, & vobis videntibus, ſcientib. prudentibuſque ſeruitutis Hiſpanicæ capiſtrum imponere? Anno à Chriſto nato poſt mille quingentos, quadrageſimo, ni fallor, octauo, cum vi atque armis oppreſſam teneret Germaniam Carolus quintus Imperator, Auguſtæ armatis Hiſpanicis atque Italicis legionibus ſeptus, Comitia indixit: Retulit multas in inferioris Germaniæ, quæ Galliam attingit parte eſſe tum vrbes, tum prouincias, quæ antiqua lege & conſuetudine à Camera Imperij iura ſolerent accipere, ad Germaniæ commune tribunal prouocare, & denique in Germaniæ circulis atque imperio cenſeri. Ex quo cùm ſæpè variæ orirentur controuerſiæ, velle ſe vna opera & litibus finem imponere, & Germaniam beneficio afficere: ac proinde decernere, vt poſthac omnes omninò quas tum in Germania inferiore, tum in Gallia Belgica prouincias ac ditiones tenebat, in vnum Imperij circulum redactæ Burgundici circuli nomine cenſerentur. Eo nomine, ſe ſuoſque poſteros Imperio penſaturos, quantum ad belli Turcici vectigalia ſoleant pendere duo Electores. de cætero vniuerſam illam ditionem non tantum ab omnibus imperij indictionibus collectis

ctis, ac subsidijs liberam fore, sed etiam omni Camerae iurisdictione, legibus, atque edictis Imperij solutam: haec scilicet est merces spoliatae nostrae Iurisdictionis, auctoritatis, Imperij: hoc est seruitutis authoramentum. hac enim pecuniola prostituta est sacrosancti huius Imperij dignitas ac libertas, dataque extero Principi, cui nulla nobiscum nec generis, nec vicinitatis, nec linguae, nec iuris necessitudo intercedit, potestas in nostra Comitia irrumpendi, in nostris consessibus sedendi, & in Camera Imperij sententiam dicendi, omnia denique nostra consilia, rationes, arcana perlustrandi, explorandique. Quod si in seruitute, etiam si neque superbus, neque molestus sit Dominus, tamen miserrimum est posse esse, si velit, quis non videt miserrimam profectò esse nostram Germaniam, in qua Rex Hispanus, si velit, ex arbitrio possit imperare? Quanquam quid attinet dicere si velit, posse, cùm iam eum longè latèque in Germania imperare omnes videant? Quid enim hac Burgundici circuli constitutione consecutus est Hispanus? Vt non iam in Burgundico solùm circulo pro libidine dominetur, sed Westphalico etiam, qui certè vnus ex praecipuis ac fortissimis Germaniae circulis est habitus, quòd velit, iubeat, imperet, & quasi quidam dictator praescribat: neque quisquam sit, qui contra mutire audeat. Hactenus enim eius Imperio paruit ditio Leodiensis, paruit Cliuensis, ac Iuliacensis principatus, paruit tractus Colonensis, ac vniuersa Westphalia. Neque tamen est hoc etiamnum imperio contentus, quin nouo etiam authoramento illa sibi penitus vult mancipare, & in omnes Germaniae partes imperium vndiquaque protendere. Vt enim taceam quòd extremas ferè omnes Germaniae oras inde vsque ab Alpium radicibus ad oceanum Germanicum tenent ij, qui sunt eius obsequiis addictissimi, neque imperium refragari ausint: vt nihil dicam quòd qui arctissimis fœderis, sanguinis, nominis, familiae, affinitatis necessitudinibus cum illo sunt colligati, in Histria, Carinthia, Croacia, & maxima Pannoniae parte, & porrò in Bauaria imperium habent. Fauces Lyci, Oeni, Danubij tenent: Augustae Vindelicorum, Ratisbonae, aliarumque amplissimarum Imperij ciuitatum ceruicibus imminent: vt omittam etiam quòd Imperii ipsius clauum in manu habent, qui ob Hispanici regni spem, Hispanicae domina-

tioni haud vnquam se opponent. Quis non intelligit, quo tandem spectet immensa ista atque inexplebilis dominádi titis, qua adolescentem Bauariæ Ducem Episcopum Frisingensem Hispanici Regis studio incitatum, authoritate armatum, flabello incensum ardere omnes vident? quem nulli neque ampliſsimi Episcopatus, nec principatus potentiſsimi possunt exsaturare? Is iam vno propè temporis momento eam sibi comparauit potentiam, vt multis quidem Europę Regibus cõparandus, omnibus certè Germaniæ Principibus metuendus iure videatur: multa enim sunt atque illustria in Europa regna, quę neque finium amplitudine, nec multitudine gentium, nec militum robore, neque omnium rerum copia, cum eius ditionibus comparari possint: neque tamen conquiescit, sed Hispanicæ ambitionis æstro percitus, semper maiora ac maiora concupiscit. Iam enim præter ampliſsimos Episcopatus Frisingensem ac Hildeshemensem, etiam Leodiensem principatum, & ditionis amplitudine, & gentis robore, & loci oportunitate nulli secundum, Hispanici Regis opera atque impulsu obtinuit. Ei etiam Archiepiscopatum Colonienſem adiungendũ putauit. Nam etsi hactenus semper Leodiensis ditio Hispanos telis, armis, machinis, milite, commeatu, atque omnibus belli præsidijs non obscurè neque dissimulanter iuuit: quamdiu tamen Colonienſis Electoris metu nonnihil retentus Episcopus, omnes animi latebras necdum sibi patefaciẽdas duxit, etsi re ipsa Hispaniæ Regis obsequijs suam omnem ditionem manciparat, verbo tamen neutralitatem præ se tulit. Iam verò, ne quid restaret quo minus Rex Hispanię pro arbitratu posset planiſsimè imperare, Archiepiscopatum etiam Colonienſem, & summam Electoratus dignitatem, partim armis, partim comminationibus, partim Romani Pontificis authoritate, illi, aut potius illius nomine sibi procurauit atque addixit. qua certè ratione non iam solùm ipsius Germaniæ armis ac viribus inferiorẽ illam Belgio finitimam Germaniam oppugnat: sed ad vniuersam etiã superiorem Germaniã imperio ac dominationi suæ subiungendam aditum sibi patefacit: omniaq; & Electorum & reliquorũ Imperij Principum vectigalia suæ potestati subijcit. Quæ quidem, illustriſsimi Principes, vestræ dignitatis, vestriq́ue Imperij neruos ac præsidia meritò semper omnes duxerunt: quibus

quibus amissis & in exteri Principis potestatem hac noua Colonienſis Archiepiſcopi electione redactis, quasi compedes ac numellæ vobis iectæ sunt, quibus & belli gerendi (si necesse sit) potestas adimatur, & seruitutis iugum, quoties Hispano adlibuerit, ceruicibus vestris imponatur.

Nec enim iam est necesse Philippum Regem Iulij Cæsaris exemplo pontis in Rheno construendi cura magnoperè distineri. Pons enim illi ac traiectus est ipsa Imperij vrbs, atque Electoratus sedes Colonia, omnisque Archiepiscopi ditio, quæ huius nutui ac voluntati non secus ac suo parebit Principi. Quid igitur iam reliquum est quominus vniuersæ Germaniæ Hispanus imperet, edicta quæ velit præscribat, & in quoscunque adlibuerit armis impetum faciat? Nullum fortasse habet in Germanici oceani faucibus portum, in quem ex Hispania (si necesse sit) classem mittat. Atqui & hoc prudenter cauit ne sibi deesset. Prætextu enim vel belli in Phrysios gerendi, vel commeatus in Belgium importandi, Amasi ostium concedi sibi postulat: ad eam rem conficiendam negotium dedit Billizeo Lusitano, vt sibi Embdanam ciuitatem à Comite Phrysiæ orientalis Edzardo, quem clientelæ nomine deuictum habet, ad tempus aliquod quasi commodato tradi curet. Eius beneficij præmium Groningam oppidum (quod quidem vndiq; Hispanorum manu cinctum, atque omni commeatus oportunitate exclusum quoties lubebit facilè recepturus est) & simul Burguadiæ comitatus gubernationem, cum vectigalium ac reditus annui vsura, suis tamen præsidijs munitam illi pollicetur. Ita perficit vt oportunissima omnia Germaniæ flumina Danubium, Rhenum, Lycum, Oenipontem, Mosam, Mosellam, Amasim in sua potestate habeat, & quemadmodum per suos clientes, & necessarios terra sibi aditum vndique patefecit: ita in oceano nihil sit quod eius vel vires frangere, vel impetum possit retardare. Et quia postremò intellexit, quantam olim Carolo magno difficultatem ad res gerendas præbuerit inuictum illud Saxoniæ inferioris robur, & simul commeminit vnam Magdeburgensium ciuitatem non ita pridem ab omni confœderatorum auxilio nudatam Caroli quinti Imperatoris inuictissimi parentis sui exercitum detinuisse, victoriam cohibuisse, ac vires denique fregisse,

dedit operam, vt huic etiam periculo prouideretur, neque quicquam planè esset quòd in Germania imperium eius posset remorari. perfecit enim vt & Romanus Pontifex & ipse Imperator, præter ea quæ iam antè à nobis commemorata sunt, Episcopatum etiam Magdeburgensem, hoc est, vniuersum Saxoniæ robur, eidem Episcopo sponsione addixerint. Nihil enim putat interesse per sese, ne an per legatum, clientem inquam & consanguineum atque affinem suis studijs addictissimum teneat: cùm habeat exploratum, illo Episcopo sese quòd volet esse imperaturum. Neque tamen his etiamdum se continet finibus.

Laborat enim vt illum totius Germaniæ Primatem creet, cuius nutu atque authoritate omnia Ecclesiastica munera, dignitates, ac præbendæ in quos sibi adlibuerit, erogentur.

Neque adhuc persentiscitis, viri Germani, Hispaniæ Regem in Germania Imperium non dicam ambire, sed iam occupatum tenere? qui Belgio deuicto portus omnes oceani, & Germaniæ fluminum ostia in potestate sit habiturus, vobisque omnem nauigandi ac negotiandi facultatem quoties libebit, erepturus: qui Amasi etiam ostia sibi iamiam tentet subijcere: qui vestra omnia vectigalia & portoria in suam potestatem redigat: qui in Cliuensibus, Iuliacensibus, Leodinis, Westphalis leges atque edicta præscribat: Coloniam Imperio suo parêre iubeat: cuius clientes propinqui, affines maximos ac prastantissimos Germaniæ populos sibi subiectos habeant: qui ex Hispania in vestris consessibus & Comitijs sedeat & sententiam dicat: vestra omnia consilia, rationes atque arcana perlustret: qui non modò quod vult iubeat, vetet, sanciat, imperet, sed pro arbitrio etiã Episcopos Frisingensem, Hildes hemensem vobis designet: Principes atque Electores Imperij Colonien sem, Leodiensem, Magdeburgensem creet: qui denique Primatem Germaniæ imponat, per quem Ecclesiastico ordini in Germania amplissimo ac potentissimo imperet? & pro his omnibus, vnum vobis obtrudat, quem habet sibi & sanguinis & affinitatis multiplicib. vinculis obstrictum, & clientelæ nomine deuinctum, et beneficiorum acceptorum necessitudine, atque alijs infinitis nominibus adductissimum. quemque certò nouit, nihil nisi ex suo nutu, sententia prascriptoque tentaturum, & turumque: quem: deniq;

prop-

propter varias ac multiplices, quæ illi cum alijs potentissimis Germaniæ Principibus intercedunt, controuersias, exploratum habet in Germania eiusmodi dissidiorum faces esse subnissarũ, quæ nisi cum totius sacri Imperij ruina extingui nunquam possint. Nam cui potest esse ignota, vetus illa quæ huic est cum illustrissimis Brunsuici Ducibus, de mille suprà vnum pagis grauissima controuersia? quam certè silentio sopitam nunquam patietur conquiescere.

Aut quis nescit quanta æmulatione hæc Bauarorum familia de primi Electoratus iure ac dignitate cum Palatinorum stirpe iampridem contenderit? Quum sibi, suoque nomini, genti ac familiæ primam illam ac summam Imperij Germanici dignitatem ereptam quiritentur. quæ certè controuersia cùm se hic tanta sentiet auctum potentia, quantam illi Regis Philippi studium ac voluntas vobis tacentibus comparat, denuò excitata quantas & quam funestas Germaniæ Tragœdias pariet, quantam ad Hispanorum tyrannidem, & fœdam Germaniæ seruitutem feneſtram aperiet, quantas denique clades atque ærumnas miseræ nostræ atque improuidæ patriæ adferet, quis non videt? Et tamen vos hæc omnia, Principes Illustrissimi, Amplissimiq; Imperij Ordines, non modò taciti cernitis, sed in vtramque etiam aurem securè dormientes, præberis vos otiosos, ac suaueis finitimorum calamitatis atque excidij spectatores: & cùm incendium hoc parietem proximum fundamentotenus propemodùm exhauserit, & verò etiam vestra tecta atque cubilia tacitè adlambens vehementer labefactarit, vestram nondum rem agi existimatis, neque tam potentis, tamque ambitiosi ac superbi Regis conatibus obsistendum ducitis? Quid verò reliqui Christiani orbis Reges, Principes, atque Ordines? Vna tenet omneis socordia, vnus veternus. Dum enim vnicum Belgium eius se tyrannidi obijcit, omnibusque Regibus, Principibus, atq; Ordinibus Christiani orbis, & auertendæ seruitutis occasionem ac tempus largitur, & quam facilè Hispanicæ huius Monarchiæ fundamenta labefactata euerti possint suo exemplo commonstrat, nemo est qui rem sibi curæ esse declaret: sed quasi de industria potentiam Hispanorum ad suam quisque perniciem certatim augêre & corroborare studeat, taciti omnes patiuntur

Bel-

Belgas diuturnitate ac mole belli fractos, rebusque aduersis tabescentes langueſcere, ita vt quid vel cõſilij capiant, vel rei tentent difficile poſsint conſtituere. Interea Galliæ Rex potentiſsimus, ob ſemel capta à fratre Andegauenſi Duce improuida ac temeraria conſilia, animo fluctuans, vicinum incendium longè latèque peruagari cernit, ſperans fortaſſe ſibi ſatis fore virium ad ſuas res domi tuendas, conſeruandaſque. Ipſe Andegauenſis rerum ſuarum incertus, quid faciat, quidue ſibi ex vſu ſit, decernere non poteſt. Regina etiam Angliæ, ob occupatam Portogalliam & oceanum in Hiſpani poteſtatem redactum, attonita videtur obſtupeſcere, neque quid conſilij capiendum ſit, decernere. Hiſpanus interea omni conatu ac viribus Belgium præmit. et pulcherrima concupitæ totius Monarchiæ fundamenta nullo intercedente iacit, ita vt iam nominis ſui atque imperij terrore atque amplitudine extremos Orientis atque Occidentis fines longè latèque impleat, & quòd eſt à Pontificibus Romanis Catholici Regis nomen conſecutus, id verè ac reipſa ſibi proprium efficiat: quòd certè vobis quidem omen, Reges, Principes, ac populi Chriſtiani, niſi prouideritis, extremam ſeruitutem, huic autem, quem veſtra ſocordia in immenſum creſcere ſinitis, Regi, Catholicam, hoc eſt, vniuerſalem in omnes dominationem ac tyrannidem comminatur. Philippus quondam Rex Macedonum Græciæ meritò ſuſpectus fuit, proptera quòd finitimos aliquot Thraciæ populos, & Græciæ oppidula ſuæ ditioni ſubijciens, reliquæ totius Græciæ libertati videretur inſidiari: ac proinde cenſuerunt Athenienſes ab vniuerſis Græcis potentiam eius eſſe retundendam, imminuendamque: veriti ne quo flagrabat ambitionis incendio, non modò Græcia omnis, ſed Aſia etiam vniuerſa abſumeretur. Neque fefellit illos ſuſpicio. Nam etſi Philippus morte præuentus, quòd animo conceperat perficere non potuit, eum tamen veteranorum militum florem filio Alexandro poſt ſe reliquit, cuius robore vir adoleſcens, non modò Græciam, ſed etiam vniuerſam Aſiam, Syriam, Babyloniam, Perſiam, Ægyptum ſibi ſubiecit, & ad Indorum & Scytharum extremos vſque fines, omnia longè latèque depopulatus, tertiam illam poſt Perſas orbis terrarum potentiſsimam Monarchiam breui temporis momento ſtabiliuit. Nos huius

Phi-

Philippi Regis Hispani neque ambitionis æstum metuimus, nec redundantem potentiam imminuendam censemus, qui non vnum, sed propè infinitos varijs locis, atq; instructissimos habet à veteranis militibus exercitus: qui plus quàm triginta Hispanorum veteranorum millia in varijs præsidijs parata semper atque instructa tenet: qui in Africam, Asiam, Europam, Americam, atq; Indias omneis & eoas & occiduas imperij sui fines longè latèque submouit: qui Othomannicam potentiam classe instructissima fregit: qui Lusitaniam omnem cum infinitis Oceani insulis, florentissimisque regnis ac prouincijs imperio suo adiecit: qui vniuersam Italiam orbis quondam dominatricem suo arbitratu moderatur: Africæ portus ac litora non pauca in potestate habet: vniuersum Oceanum quaquaversum occupat: Mediterranei maris insulas omnes præcipuas, ac portus suæ ditioni subiectas tenet: qui denique omnibus Christiani orbis principibus ac populis, quòd vult, præscribit, & solo nominis terrore quicquid adlibuit exequitur.

Quòd si verò quis existimat eum tam amplo ac vasto contentum Imperio nihil esse amplius attentaturum, nisi quòd iure & legibus possit vendicare, neque in aliena Imperia aut regna per nefas facturum impetum, is profectò prudens scienscq; fallitur, & sibiipsi palpum obtrudens saluti suę ac dignitati pessimè consulit. Primùm enim inexplebilis est regnandi cupiditatis sitis, atque ardenti flammæ persimilis, cui quo plus alimentorum ingeritur, eò latius vagans plura semper absumit ac vastat, neque quicquam vlla ex parte in confinijs intactum aut integrum esse patitur. Deinde quis ex illa impotenti Portogalliæ occupatione non videt Philippum Regem nullis legibus, nullo iure, nullis denique sanctionibus teneri velle? Nam si quod sibi ius in regni illius successione arrogabat, cur leges armis perfregit, iura vi anteuertit, sanctissimorum Iudicum sententias flamma & ferro præoccupauit? Antonium Regem, Galliæ Reginam Matrem, Bregantij Ducem, & verò etiam ipsius Parmensis Principis filium, ac reliquos denique omnes, qui de regni successione ambigebant, nefariè delusit? Et adhuc iutis nomen aut Relligionem apud illum valere existimabimus, qui regnandi causa nullo se nisi armorum iure teneri, palàm atque in totius orbis Christiani

oculis testatur. Quid verò? qui data pecunia Turcã in Venetos cõfœderatos armauit, eorumq; impetum à suis finibus in Cyprũ auertit, eú nne vllis fœderum legibus teneri arbitrabimur? Qui neq; cum Indis, neq; cum Granatensibus, neq; cum Belgis inita fœdera diutius quã sibi ex vsu esset sancta habuit, eiúsne ardens ambitio fœderis aut iuris vlla sanctione retinebitur? Sed quæ tandẽ illũ iuris obstringat religio, quẽ suæ ipsius religionis præscriptum, & Pontificis Romani authoritas ab omni iuris vinculo liberat? An verò quẽ nullę matrimonij leges ab incestu, nulla cõiugij necessitudo ab adulterijs, nulla naturę vincula à parricidio, nullũ deniq; fidei sacramentũ à periurio retinet, eius ardentem ambitionis flammam, regni propagãdi studio incensum animũ, vltionis appetitæ insanum furorem, iustitiæ aut iuris frigida suffusa restingui posse arbitrabimur? Quasi verò Põtifici Romano minus siet integrum regni finium iura quã matrimonij necessitudinem, quam coniugij sanctitatem, quã fidei sacramẽtum obtenta bulla soluere? Quanquam quid attinet iuris prætextu illius ambitionem oppugnare, qui ex iure & legibus in aliena imperia meritò se posse inuadere iampridem statuit? Ecquis enim est Regum aut Principum, reliquorumq; Christiani orbis Ordinum, in quem se Hispaniæ Rex non arbitretur iustissimam belli gerendi causam iam pridem habere? Galliæ Regem accusabit, quod fratrem in suas ditiones armis irrumpentem, non modò non prohibuerit, sed milite, commeatu, pecunia, armis roborauerit, eoq; nomine hostem se prior declararit: quòd Reginę matris nomine insulas suas Gallicis armis ac signis hostiliter inuaserit, classem suam oppugnarit, Antoninm hostem ac perduellem, non modò regno atque hospitio exceperit, sed armis etiam ac milite iuuerit: quòd Belgas ipsos omnibus belli præsidijs quoad potuit sustentarit. Angliæ Reginam dicet primùm quidem esse hæreticam, & à Põtifice Romano proscriptam: deinde multis etiam rebus & terra & mari decretis ac gestis hostilem erga se animum prodidisse, hostes suos ac perduelles fouisse, & tum pecunia, tum commeatu ac milite iuuisse, classem hostilem in oceanũ misisse, Antonio Lusitano auxilia subministrasse, aurum ac naues ex Indijs per vim subduxisse. Germanos Principes alios quidem causabit: Principi Auraicę cõtra se auxilia tulisse, alios in

in Belgio etiã militasse, in alios per Frisingensem seu Leodiẽsem Episcopum de finibus mouebit cõtrouersiam, in alios de iure Electoratus: omnes autem vniuersim vel esse hæreticos, & à Rom. Pontificis obedientia desciuisse, vel certè cum ijs qui desciuerint fœdus iniisse pronunciabit. Hos omnes Romanus Pontifex anathemate percussos armis ad obsequiũ cogi volet. An nõ erit hoc satis superq; iuris ad eos inuadendos, ei qui Pontificis Romani mandata ꝓ diuinis oraculis, anathemata ꝓ fulminibus habeat? qui per se etiam religioni Euangelicę hostis sit infestissimus, eãq; tanquã humani generis teterrimã pestẽ oderit: qui omnes suos conatus, omnia studia, consilia, actiones, fœdera deniq; omnia ad illam delendã ac penitus extinguendam semper adhibuerit: & qui cùm sit omnium hominũ ambitiosissimus, palàm tamen profiteatur malle se omnium suorum regnorũ ac ditionũ iacturã facere, quam vel minimã huiusce religionis scintillam inextinctã pati: qui deniq; Germanos propè omnes haud alio loco quam Turcas, Paganos, aut Saracenos habeat. Quid verò Pontifex, an non arbitrabitur sibi ꝑ quàm esse integrum: Germaniã anathemate percussam Philippo Regi diripiendã dare, atq; olim eius parenti superiores dedere Pontifices? Paulus tertius, ciusque antecessor Clemens VII. Carolo quinto anathematis fulmen intentarunt, propterea quod de religione dissidia putaret authoritate Cõcilij generalis, non armis esse decernenda: optimũq; ac minimè ambitiosum Principem ad sumenda in Germanos arma, inuitum diu reluctantẽ cõminationibus ac fulminibus suis tãdem coëgerunt: et nos existimabimus Philippũ Regem nullis Pontificum flabellis incitatum iri, vt se iure arbitretur Germanos in Romanæ fidei obsequium armis posse adducere? Quod si verò quis existimat ad protestãtes hęc solùm pertinere, reliquos ab Hispanicæ tyrãnidis metu liberos esse, is cogitet, veteres olim Henricos, Othones, Fridericos, alioſq; sumnios, potentissimos, atq; omni virtutis laude præcellentes viros, maiores vestros, illustrissimi Principes, eandẽ cum Põtificibus religionẽ coluisse, neq; fulminum Põtificiorũ cuspides minus propterea sensisse: cum alij Põtificum nutu sua regna atq; imperia in exteros Principes transfata viderint, alij eorum vel pedibus proculcandã ceruicẽ subiecerint, vel ad genua capite ac pedibus nudatis supplices se prouoluerint, vel deniq; irã grauissimis mulctis ac supplicijs auertẽrint.

Cogitet satis causæ Pontifici Romano ad Hispaniæ Regem in Germanorum perniciem armandum fore, quòd videat eos qui sua in religionem profitentur, eandem tamen non modò aduersus professantes non tutari, sed multis etiam fœderibus ac varijs necessitudinum vinculis cum illis coniunctos esse: cogitet denique cùm se Hispani sentiant Germaniam non posse vel suo imperio subijcere, vel ad Pontificis Romani obedientiam armis adigere, nisi ad alios subigendos aliorum operam vel fœderis nexu, vel clientelæ necessitudine, vel armorum terrore sibi addixerint, omninò eam Germanis conditionem ac legem subeundam esse, vt vel fœdere atque amicitia se Hispanis ad reliquos Germanos opprimendos coniungant, vel ad hos propugnandos, & vniuersam Germaniam in libertatem vindicandam contra Hispanos arma sumant. Quòd nisi maturè fecerint, & præclara illa Belgicarum rerum occasione vsi Hispanicæ potentiæ incrementa inciderint, frustrà suis posteà viribus singuli ruentem in suas ceruices immensæ tyrannidis molem conabuntur auertere. Est quidem, est inquã magna, viri Principes, Regis Philippi potentia. Sed est tamen eiusmodi, vt eius omnia fundamenta quemadmodum vestra ac reliquorum Principum tolerantia, ne dicam socordia, nata adoleuerint: ita vestra virtute, consensioneque labefactata, nullo negotio sint ruitura. Omnes enim eius ditiones multis magnisque locorum interuallis inter se dissitæ iacent, & facilè est illis commeatum intercludere, auxilia interuertere, vires denique frangere: modò vt ipsi vobis non desitis, modò vt Germaniæ intermedio vinculo Italiam cum Belgio necti non patiamini. Quod quidem eò erit facilius, quod videatis omnes populos illi subiectos, immanem eius tyrannidem exhorrescere, & nihil nisi rei gerendę occasionem qua se in libertatem vendicent expectare. Videtis quãtulis viribus, quàm paruanianu, quàm contemnendis principijs, Aurasiaci Princeps magnos Hispanorum exercitus, & vastos illos conatus irritos atque inutileis reddiderit. Quanto tempore Belgij prouinciæ omni auxilio destitutæ, atque omnibus nudatæ præsidijs tanti Regis impetum sustinuerint. quàm propè abfuerit vt dudum quidem Ioannes Austriacus, nuper autem Princeps Parmensis cum omnibus suis copijs ex omni Belgio electi fuerint: & nisi tum quidem

dem inteſtinis diſſentionibus plereq́ue prouinciæ à communi fœdere deſciuiſſent, nunc autem aulicorum quorundam pernicioſis conſilijs Dux Andegauenſis fortunam, quam in tot ambitionibus habebat, elabi ſibi paſſus eſſet, non modò è Belgio deceſſuri fuerint Hiſpani, ſed imperij ſui fines intra Iberum fortaſſe terminaturi. Itaque nec eſt, Illuſtriſsimi Principes, quòd Hiſpanici imperij terrore à profectione gerenda, vindicandaq́; communi libertate vos abiterreat, neque quòd eorum potentiæ contemptus ſecuros aut ſegniores efficiat. Nihil Regis illius vobis oberit potentia, ſi maturè prouideritis, ſi res Belgicas non neglexeritis, ſi Billiæi conatus ab occupando Amaſi oſtio veſtra authoritate atque imperio fregeritis, ſi ardentem Ducis Bauariæ ambitionem, eiuſq́ue erga Hiſpanicum nomen ſtudium coërcueritis, ſi cum Chriſtianiſsimo Galliarum Rege, cum Sereniſsima Angliæ Regina, cum alijs denique Chriſtiani orbis Principibus, conſilia de immenſa iſta Hiſpanorum potentia intra ſuos limites coërcenda ſeriò ac maturè iniueritis. Sin autem patiemini finitimum vobis Belgium, Hiſpanicis armis iam ferè oppreſſum, etiam Germaniæ viribus atteri: Cliuenſes, Iuliacenſes, Colonienſes ad Philippi Regis mandata contremiſcere taciti ſpectabitis: Leodienſes machinis, armis, commeatu, atque omnibus belli præſidijs, quod eſt hactenus ab illis ſtudioſè factitatum, hoſtem iuuare non prohibebitis: neque Ducis Bauariæ æſtuantem ambitionem coërcebitis: Sed eius imperio Colonienſem Archiepiſcopatum, atque Electoratus dignitatem adiungi patiemini, eumq́ue ſuas vires ad Belgij perniciem cum Hiſpano coniungere non vetabitis, et verò etiam portum in Germanico oceano Hiſpanorum claſsi patefacietis: Nolite dubitare quin reducto in Hiſpani ſeruitutem Belgio, diuiſa & in varias factiones diſtracta Germania, Galliaq́ue, vel bellis & contentionibus domeſticis exhauſta, vel conſiliorum ac ſtudiorum pugnante inter ſe varietate diſtracta, Hiſpanici nominis terror, atque imperij moles, quaſi quidam vaſtus atque ineuitabilis oceani æſtus ruptis vicinis aggeribus ac repagulis vniuerſum orbem Chriſtianum extremæ cladis, & calamitatũ omnium fluctibus breui tempore ſit obruturus; quod quidem ſi

qui tum vel armis, vel alia vi conabuntur prohibere, ſerò ſanè illi ſent[illegible], quòd in orationis capite diximus, elapſam hanc præclaris[illegible]iam rei benè gerendæ oportunitatem, nulla neque vi neque voto redituram, ſocordiæ ac tarditatis meritas à nobis pœnas repoſcere. Hoc ego omen vt ab vniuerſo vrbe Chriſtiano, maximè autem à dulciſsima mea patria Germania Dominus auertat: et vos, illuſtriſsimi Germaniæ Principes, reliquiſque orbis Chriſtiani Reges potentiſsimi, & Amplisimi Ordines, veſtraque omnia conſilia atq; inſtituta, ſpiritu ſuo ſanc̃o ita moderetur, vt quòd erit ex vſu reip. Chriſtianæ, quodque ad diuini nominis gloriam, & populi ſalutem ſpectabit, decernatis, ſtatuatis, ac re ipſa exequamini. etiam atque etiam ardentiſsimis votis, per Chriſti

IESV nomen, exopto atque deprecor.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE